

## **Disputatio de vermibus intestinorum / [Elias Geiselbrunnerus].**

### **Contributors**

Geiselbrunnerus, Elias, active 1614.  
Sebisch, Melchior, 1539-1625  
Université de Strasbourg

### **Publication/Creation**

Strassburg : J. Carol, 1614.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tkhp2q4m>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



2722  
9

DISPUTATIO  
DE VERMIBVS  
INTESTINORUM

PRIMA:

*Conscripta, & in alma Argenti-  
nensium Academia publici exercitij  
gratia proposita*

à

MELCHIORE SEBIZIO  
JUNIORE: DOCTORE AC  
Professore Medicinæ ordinario:

*Respondente*

ELIA GEISELBRUNNERO  
Augustano.

*Habebitur mense Septembri.*



ARGENTORATI  
Typis JOHANNIS CAROLI.  
M. DC. XIII.



✂—————✂

**NOBILITATE, VIRTUTE,**  
**DOCTRINA, MVLTARVM QVE RERV**  
*usu & experientia praestantissimis Viris:*

**Dn. GEORGIO HENISCHIO, Medico & Mathematico**  
**inclytæ Reipubl. Augustanæ eximio:**

**Dn. DAVIDI HOESCHELIO, Scholæ Augustanæ Re-**  
**ctori dignissimo:**

**Dn. JOHANNI HUEBKERO, Civi apud Augustanos**  
**primario:**

*Fautoribus, Promotoribus & Præceptoribus suis*  
*omni observantia & honore colendis*

**Hanc de vermibus intestinorum Disputationem**

*In grati animi σύμβολον,*  
*Debitæ observantiæ μνημόσυνον, &*  
*Singularis amoris τεκμήριον*

*Offert atq; dedicat*

**Elias Geiselbrunnerus**  
**Respondens.**







# T H E S I S

I.

**N**ON minus verè & ingeniosè, quam pulchrè atque eleganter Aristoteles 8. *Physior* C. 2. hominem μικρόκοσμον appellavit. Cui postea Theophrastus, qui eundem universi exemplar: & Plinius, qui hominem mundi epitomen vocavit, subscripserunt.

2. Habet enim homo ἀναλογίαν cum μακροκόσμῳ mirabilem: eaq; omnia, quæ ille amplissimo suo sinu coërcet, in se, velut in tabella quadam, repræsentat.

3. Nam ut nihil jam de quatuor elementis, quorum humores & spiritus sunt imagines: de corpore cœlesti, cujus caput rotundum, inque editissimo loco situm simulachrum existit: de sole, cui cor, perenni sua motione, & calore vivifico corpus universum calefaciens, conservans, atque ad actiones disponens, ἀνάλογον censetur: de pluvijs & imbribus, quos catharrhi & destillationes referunt: de ventis, quos vapores, cruditatum exhalationes, aurium sibili atq; tinnitus repræsentant: de grandinibus, quorum coacta rotundaq; sputa, nec non pituita in pulmonibus concreta similitudinem gerunt: de tonitruis, quorum rugitus & murmura intestinorum, strepentesque crepitus atque ructus speciem exhibent: de fulguribus terrificis, & coruscationibus ignitis, quas excandescantium oculorum rubræ suffusiones, & quæ inde emicant ἐκλάμψεις insinuant: de rore, cui lachrymæ assimilantur: de terræ motibus, quos convulsivi, tremuli, & palpitantes motus designant: de fossilibus & terreis corporibus, quorum speciem calculi renum ac vesicæ: tophi articulorum: gypsea pituita intestinorum & pulmonum præ se ferunt: de fontibus aquarum, quos hepar,



humorum officina, exprimit: de rivulis & aquæ ductibus, quibus venæ atque arteriæ conferuntur: de varijs motibus, quibus homogeneatur, augetur, alteratur, & de loco in locum transfertur: de sexcentis rebus alijs, in μακροκόσμῳ quidem ad vivum expressis; in homine autem velut penicillo adumbratis, dicamus: quis quæso hominem non μικρόκοσμον arbitrabitur, cum etiam varij generis animalia in eo, non secus atque in μακροκόσμῳ, generentur?

4. Nascitur sanè in homine homo, quem Aegyptiorum sacerdotes animal adorandum & admirandum: Mercurius Trismegistus animal Deo similimum: Plato miraculum miraculorum vocare solebat.

5. Nascuntur in eodem pediculi generis diversi: qui pilosas corporis partes potissimum obsident.

6. Nascuntur pulices: licet sint, qui aliunde eos provenire, & generatos alimoniam saltem in hominibus quærere velint.

7. Nascuntur dracunculi, quos Germani Mitteresser & Mittersaß nuncupare consueverunt: eò quod magnam nutrimenti partem ad se rapiant: hominemq; valdè emacient. Sunt animalcula, inquit *Paulus Aegineta l. 4. c. ult.* lumbricis similia, in partibus musculosis, brachijs nimirum, femoribus, tibijsq; gigni solita. In pueris verò etiam in lateribus sub cute consistunt, manifesteque moventur.

8. Nascuntur denique multæ vermium species: & quidem non in una: sed in pluribus corporis nostri partibus: nempe in capite, in naribus, in dentibus, in pulmonibus, in renibus, in vesica, in intestinis, in utero, in vulneribus & ulceribus externarum partium neglectis, minimeq; deterfis & mundificatis. Id quod præter experientiam quotidianam etiam præstantissimorum artis procerum autoritas confirmat.

9. *Avicenna l. 3. fen. 1. tract. 2. c. 3.* scribit, capitis dolores etiam à vermibus inibi genitis oriri. Quod placitum *Benivenius observat. 100.* propria experientia verum esse probat. Inquit enim, amicum se habuisse, qui cum acerbissimo capitis dolore, mentisq; alienatione laborasset: ita ut septimo die



die morti videretur vicinus: vi tandem robustioris naturæ vermem è nare dextra palmo longiorem ejecerit: & pristinæ sanitati fuerit restitutus. Simile quid *Aristoteles* de *Cervis* 2. *histor. animal.* c. 15. nec non *Alexander Trallianus* de *Capris* l. 1. c. 15. refert: quod scil. in horum animalium capitibus vermes producantur.

10. In auribus profeminari vermiculos, testis locupletissimus Galenus noster est: qui 7. *simpl. c. de Calamintha*: & l. 3. *de comp. med.* κ. τῶνες: & l. *de simpl. medic. ad Paternianum* c. *de Nepeta*: & l. *de medic. facile parabil.* remedia ostendit, quibus aurium necari vermes debeant. Idem faciunt *Oribasius* l. 4. *de morb. curat.* c. 40. *Aetius tetrabibl.* 2. *serm.* 2. c. 85. *Celsus* l. 6. c. 7. *Dioscorides* multis in locis. Vidit *Valescus de Taranta* l. 4. *prax.* c. 30. duos tresve vermiculos pinigranis similes ex aure cujusdam juvenis acuta febris laborantis ejectos. Tales etiam *Fernelius* 6. *pathol.* c. 10 conspexisse se testatur.

11. De narium vermibus memorabilem historiam idem *Fernelius*, 5. *pathol.* c. 7. recenset. In milite quodam, ait, qui resimis erat naribus, ex fœdiore quadam eluvie diutiùs cohibita, vermes duo villosi instar digiti circa os ethmoides geniti inventiq; sunt, qui tandem in furorem illum adegerunt, febrique non admodum manifesta de medio sustulerunt die circiter vigesimo. Quos vermes *Paræus* l. 19. c. 3. operis sui depingit. *Hollerius* l. 1. *de intern. aff.* c. 54. in *Scholijs* narrat, puellam quandam vermem rejecisse per nares album, satis crassum, palmo majorem, nulla tussi, nulloque vomitu præcedente.

12. In cavis, corrosis, putridisque dentibus vermes aliquando nasci, atrocesque dolores excitare, notius est, quam ut demonstrari debeat. Quos tamen *Fernelius* 6. *pathol.* c. 10. se vidisse memorat.

13. Vermiculos in pulmonibus ortos, & tussi postea expulsos observârunt *Avenzoar* & *Alzaravius*. *Neotericj* quidam eos in phthificis aliquando animadverterunt. *Benivenius* notat, quendam molesta tussicula laborasse: sed mar. rubij succo ex melle singulis diebus deglutito, & interdum



etiam lambitivo ex scylla usurpato, vermem tandem cum tussi excrevisse: & statim convaluisse.

14. Renum & vesicæ vermiculos cum urina profusos viderunt Fernelius *loco citato*: Hollerius *1. de intern. morb. c. 54.* in Scholijs: Rondeletius *l. de Vrin. c. 38.* Platerus *tract. 3. praxeos l. 2. c. 13.*

15. In Utero etsi procreentur rariùs: procreari tamen aliquando & Hippocrates *2. de aff. mul.* & Ludovicus Mercatus, nec non Rodericus à Castro in gynæcijs suis testatum faciunt.

16. Verùm, prolxiùs hîc de ἀναλογία hominis cum mundo differere non libet. Sufficiat extremis duntaxat digitis illam attigisse.

17. Itaque quod præsentis est instituti agamus: & in hac quidem disputatione de vermium intestinalium **FORMA**, **MATERIA**, **EFFICIENTE**, & **FINE** tractemus: in sequenti de **SIGNIS** tam diagnosticis, quam prognosticis: nec non de **CURATIONE** verba facturi.

18. Considerabimus autē in **FORMALI CAUSA** *Nomina: Definitionem: Genus*, sub quo scil. affectu præter naturam contineantur: & *Species, sive differentias.*

19. **NOMINA** apud Latinos & Græcos sunt varia. Vocantur enim à Celso lumbrici, quasi lubrici: ob lubricitatem, quam in externa superficie habent. A Plinio interaneorum animalia; quòd interanea, sive intestina potissimum infestent, Aliàs vermes, vel à vertendo, uti quibusdā Grammaticis placet; quod rependo sese torqueant & vertant: vel à verrendo, hoc est, scalpendo, quemadmodū Valescus de Tarranta vult: quia scalpendo intestina afficiunt. Ab aliquibus Medicinæ scriptoribus ventris tineæ: quoniam sicuti tineæ vermiculi sunt vestes & libros corro dentes: ita animalia hæc dictorum vermiculorum naturam imitantur, ipsaque intestina non rarò pungunt atque rodunt. A Græcis ἐλμυνθες: & ab Hipocrate aliquando ἑλμυνγες appellantur: veluti *l. 1. c. 4. Epidem.* videre licet.

20. **DEFINITIONEM** quod spectat, dicimus, vermem animal esse, ex putri materia in intestinis à calore genitum.

Ut



21. Ut enim lumbrici terrestres, quos Galenus *11. simpl. cap. de lumbricis* intestina terræ nominat, & quædam animalcula alia ex putrida materia cœlestis caloris ope producuntur: ita vermes hosce ex putrido humore caloris nativi virtute generari credimus.

22. Cæterum, cum Galenus *lib. 14. meth. c. 19.* toto genere præter naturam eos esse doceat: tres autem eodem authore sint affectus præter naturam: Morbus: Causa morbifica: & Symptoma: meritò quæritur, sub quonam AFFECTU PRÆTER NATURAM comprehendantur?

23. Ad hanc quæstionem idem Galenus *lib. de differ. morbor. c. 8.* respondet: & vermes morbos esse in numero præter naturam aucto statuit.

24. Morbos enim in numero facit duplices: alios in numero excedente: cum adest, quod abesse debebat: alios in numero deficiente, cum deest, quod debebat adesse. Rursum illos, qui sunt in numero excedente, subdividit. Nam quod redundat, aut est ex genere rerum naturalium, ut sextus digitus: unguis in oculo: polypus: & quævis carnis excrescentia: aut est ex eorum albo, quæ toto genere præter naturam sunt. Atque hûc lumbricos, ascaridas, calculos, &c. refert.

25. Galeni sententiam plerique recentiores amplectuntur, qui de intestinorum vermibus scripserunt.

26. Ferneliustamen vermes morbos esse negat: hac ratione ductus, quoniam sunt in genere contentorû: quorum vitia morborum causæ perhibentur: sicuti vitia continentium, hoc est ipsarum partium morbi dicuntur: & actionum symptomata.

27. Nos, ut liberè profiteamur, quod sentimus, verissimam Fernelij opinionem judicamus.

28. Etenim omnis morbus juxta Galenum *l. de differ. morbor. c. 2.* *σύνθεσις* est: & per consequens qualitas atque accidens. At verò lumbrici accidentia non sunt: sed substantiæ. Non ergo morbi.

29. Deinde: omnis morbus ita inhæret partibus, ut sine  
ijs



ijs vim subsistendi nullam habeat. At lumbrici etiam sine partibus humani corporis subsistere valent. Ergo.

30. Tertiò: Morbus tantum est in corpore vivo: quia actiones lædere à Galeno dicitur: quæ soli vivo corpori tribuuntur. Atqui vermes etiam in mortuis esse corporibus queunt. Proinde morbi non sunt: aut si sunt, morbi definitio à Galeno tradita vel ijs non competet: quod est absurdum: vel angustior suo definito erit: quod est contra receptam doctorum sententiam.

31. Quartò: Omnis morbus aut intemperies est: aut mala compositio: aut continui solutio. At vermes neque intemperies sunt, quia non qualitates: neque continui solutiones formaliter & per se: sed potiùs causæ illarum: neque malæ compositiones: quia vitia forent vel in conformatione: vel in magnitudine: vel in situ & connexionem: vel deniq; in numero. At non in tribus prioribus constitutionibus: ut in confesso est apud omnes. Neque in numero: quia tum demum morbus in numero adesse dicitur: cum pars vel abundat: vel deest. Morbi enim solis partibus viventis corporis tribuuntur. Sed vermes partes corporis non sunt. Concludimus ergò, morbos non esse.

32. Antonius Valetius *exercit. 54. super c. 54. l. 1. de morb. intern.* Hollerij arbitratur, vermes interdum morbi rationem habere, quatenus sunt quiddam toto genere præter naturam, quod auferendum est: nonnunquam causæ: quatenus varia symptomata excitant: aliàs signi solius, quatenus ut excreta considerantur.

33. Nos, etsi vermes signorum quandoque induere naturam libenter concedamus: negamus tamen propterea in morborum reponendos esse numero, quod præter naturam sint, & auferendi. Nam si hæc ratio aliquid ponderis haberet: sequeretur, omnes causas morbificas, omniaq; symptomata morbos esse: quoniam præter naturam sunt: & sui ablationem indicant.

34. Victor Trincavellius *l. 9. de cur. rat. c. 11.* scribit, vermes & morbos: & causas: & symptomata appellari posse. Morbos:



bos quidem vel in numero: vel in cavitate, quando intestina obstruunt. Inquit enim vidisse se post dolores colicos multos excretos vermes, quasi in globum glomeratos, qui cruciatus colicos ex obstructione concitârint. Causas verò: quia plurimorum malorum, quæ sequenti disputatione in signorû doctrina recensentur, authores sunt. Symptomata deniq; quatenus excernuntur, & boni vel mali aliquid portendunt. Quanquam alij symptomata esse vitiatæ conditionis contendant

35. Verùm aliud est obstructio: aliud obstructionis causa. Vermes obstruere intestina posse admittimus. Obstructiones autem esse pernegamus: nisi dicere placeat, unum eundemque affectum respectu eodem & causam, & effectum esse, quod est absurdum: aut definitum unum duo habere proxima genera, & quidem ratione eadem, quod est contra regulas logicorum.

36. Mercurialis cum objectionem thesi 28. allatam animadvertet, inquit: tametsi lumbricos morbos esse dicamus, non propterea tamen morbum in prædicamento substantiæ collocamus: eò quod non substantia lumbricorum sit morbus: sed duntaxat dispositio illa præternaturalis, quæ à superflua eorum substantia est introducta.

37. Sed pace tanti viri dixerimus, nullam hic dispositionem videmus, cujus ratione lumbrici morbis à numerari queant. Illa enim vel intemperies similarium: vel mala compositio dissimilarium: vel utrarumque partium unionis solutio foret. At nullam harum dispositionem esse thesi 31. ostendimus. Aut si maximè aliqua à lumbricis introducta esset: sequeretur tamen, lumbricos causas esse: ortas verò ab ijs dispositiones vel morbos: vel symptomata: quod & nos non diffitemur.

38. Alij propterea lumbricos morbos esse volunt, quod actiones lædant. Verùm, si omne quod actiones lædit, morbus esset: omnis sanè causa morbus foret: nullumque amplius discrimen inter morbum & causam morbi appareret: adeoq; morbi definitio à Gal. tradita redderetur suspecta.

39. Quidam lumbricos neque per se morbos, neque



subiecta morborum esse statuunt. Non morbos : quia sunt substantiæ. Non morborum subiecta : quoniam corpora sunt peregrina, toto genere præter naturam : nequaquam corporis partes. Eatenus tamen ad morbos referri, quatenus eorum causâ naturalis dispositio partium vitatur. Esse enim quiddam intestinis præter naturam additum : atque ob eorû præsentiam aliquid in parte præter naturam abundare : & ita in talibus numerum esse vitiosum, si non ob partes constituentes : tamen ob ea, quæ continentur.

40. Sed neque hi Galenum sufficienter defendere videntur. Nam si omne illud, ob cuius præsentiam naturalis partium *diathesis* vitatur, morbus esset : omnis sanè causa in morborum albo reponi deberet : eò quod omnis morbifica causa naturalem partium statum pervertat. Et si omne, quod partibus præter naturam est additum, in ijsque abundat, morbus in numero esset : cur non etiam grandines pulmonum : calculi renum & vesicæ : tophi gypseam referentes materiam articulorum : mola uteri : lenti viscosique humores venarum : fæces copiosius coacervatæ atque collectæ intestinorum morbi dicuntur : cum corpora hæc in partibus dictis sint superflua : nativamque earum constitutionem corrumpant ?

41. Itaque concludimus, lumbricos causas morborum & symptomatum : nequaquam morbos esse. Posse tamen etiam ad symptomata, & quidem ad excreta toto genere præter naturam referri : non ad actiones læsas : cum neque abolitæ : neque diminutæ : neque depravatæ sint actiones : quamvis ex læsis actionibus, & cum primis ex vitiata coctione ventriculi resultent.

42. Accedamus ad vermium SPECIES sive DIFFERENTIAS.

43. Traduntur autem illæ ab Aristotele *5. histor. animal. c. 19.* à Galeno *in Introduct. c. 13. l. 14. meth. c. ult. in fine ; & comment. 26. §. 3. aphor.* à Paulò *l. 4. c. 57.* ab Oribasio *l. 4. de cur. affect. c. 90.* ab Aëtio *tetrabibl. 3. serm. 1. c. 39. 40. & 41.* nec non ab Actuário, *l. 1. meth. med. c. 21.* Et sunt numero tres. Quidam enim vermes æreæ sunt, figuram vermium terrestrium referentes, cæ-

teris



teris frequentiores, & pueris familiares. Eos Hippocrates  
*aph. 26. f. 3. ἑλμινθας στρογγύλας*, lumbricos rotundos vocat. Alij  
breves, tenues, simulque teretes: vermiculis in putri caseo  
genitis similes: ἀσκαείδεις ab Hippocrate ibidem nuncupati:  
non quasi escam rodentes, ut perperam Valescus interpre-  
tatur: sed à græco verbo ἀσκαεῖζειν, quod idem cum σκαεῖζειν, ἢ  
σκαίρειν, hoc est, saltare & palpitare significat. Assiduè enim  
sefe formicarum instar movent: anum, circa quem confi-  
stunt, pungunt: ei que vehementem pruritum inferunt: &  
hominem continuò ad excretionem stimulant. Nonnulli  
lati brevesque, semina, Hippocrate 4. de Morbis authore, cu-  
curbitæ repræsentantes: cucurbitini ob id à Latinis appel-  
lati: à Græcis ἑλμινθες πλατεῖαι.

44. Hisce tribus vermium generibus aliqui quartum ad-  
dunt: illos scilicet vermes, quos Galenus in *Introduct. c. 13.*  
scribit à Græcis κνείας ἢ ταινίας nominari: eò quod fasciarum  
formam referant.

45. Adeò longum hoc est vermium genus, ut Galenus  
tum loco citato: tum *comment. 26. aphor. f. 3.* asseveret, sæpè  
per tota intestina extendi. Plinius l. 11. *hist. nat. c. 33.* notat, vi-  
fos esse latos lumbricos 30. pedes longos. Augenius l. 6. *Epist.*  
*medicin.* narrat, quendam excrevisse tæniam 25. cubitorum  
longitudinem æquantem: ita ut æger omnia sese intestina  
decessisse putârit. Schenckius l. 3. *observat. medicin. sect. priore*  
*obser. 208.* ex diversis authoribus recenset, tænias 3. 6. 7. 8. 13.  
18. & 20. ulnarum fuisse ejectas.

46. Verùm sciendum, quartum hoc vermium genus à  
tertio diversum non esse: sed plurium saltem cucurbitino-  
rum vermium mutuum adhæsum, & crebram adunationem  
ut Fernelius: connexum, ut Capivaccus: congeriem, ut Trinca-  
vellius: catenam & complicationem, ut Vidius: coagmenta-  
tionem, ut Casalpini loquitur.

47. Etenim, si penitiùs & oculatiùs tænia inspiciatur: ex  
pluribus constare vermibus latis manifestè deprehendetur:  
una membrana, veluti matrice, quam Gabucinus etiam va-  
ginam, & secundinam eleganter nominat, contentis, & mu-  
cosa substantia, veluti glutine copulatis. Ita namque con-



juncti unum quoddam corpus, idque longissimum, digitali latitudine, constituere videntur: cum revera tamen ex pluribus cucurbitinis vermibus sit conflatum.

48. Id quod *Augenius* propria experientia confirmat. Nam cum taniam illam, cujus antea mentio facta est, diligentius fuisset contemplatus, plures quam mille vermes cucurbitinos in illa observavit: qui tamen una membranula tecti, sibi que mutuò conjuncti erant. Idem *Benivenius* comprobat, asserens, mulierem continuis 7. diebus quamplurimos cucurbitinos ejecisse vermes, qui ita inter se cohærebant, ut cum sua ipsi serie quatuor cubitorum longitudinem excederent, unum tamen corpus, unum vermem referens, putarentur. Idem denique *Manardus* planum facit, qui mulierem, quæ latum lumbricum alios continentem vermes excreverat, novit.

49. Et sanè ratio quoque hoc ipsum convincere videtur. Actuarius enim *l. 1. meth. med. c. 21.* Hippocratem *4. de Morb. sequutus* scribit, quibus lata hæcce tineæ in intestinis gignitur, eos cucurbitæ seminibus similia alvo egerere: hæcque excreta inseparabilia illius esse jndicia.

50. Itaque si excreta cucurbitæ seminibus similia hujus tineæ signa sunt *παθογενεμονία*: quod præter Actuarium etiam Aristoteles *5. hist. an. c. 19.* Paulus *l. 4. c. 57.* & Aëtius *tetrabibl. 3. serm. 1. c. 40.* tradunt: argumentum haud leve erit, eam ex vermibus cucurbitinis esse constructam; ac propterea specie ab ijs minimè differre.

51. At obijciunt contrariæ opinionis sectatores, latam tineam unum esse corpus: excretam moveri, & interdum aliquandiu vivere: quod de sua Augenius memoriæ prodidit, quæ unam penè horam supervixit: denique corpuscula illa semen cucurbitæ referentia aut foetus illius esse: aut particulas: aut excrementa.

52. Sed ad 1. argumentum respondemus, videri quidem unum corpus, si foris inspiciatur: revera autem ex pluribus vermibus constare: id quod apparet, si matrix, qua continentur, aperiatur.

53. Ad 2. dicimus non latam vocatam tineam, sed vermes



mes intra ipsam conclusos vivere, seque movere: quibus motis ipsa quoque per accidens moveatur.

54. Rem ita se habere Gabucinus experientia probat. Vermibus enim exemptis, matrix non amplius palpitat: vacua scilicet ijs, quæ in ipsa movebantur animalculis.

55. Tertiæ objectioni auctoritatem Hippocratis obtrudimus: *qui lib. 4. de Morbis* tribus rationibus planum facit; corpuscula illa nequaquam fœtus esse latæ tineæ. 1. est, quia fieri nequit, ut ullum animal tot fœtus edat, quot apparere videmus seminibus cucurbitæ similes. 2. quia ea loci in intestinis capacitas non est, ut tot fœtus educare queat. 3. quia si homini latam tineam foventi dejectorium propinaveris pharmacum: vel exibat tota convoluta, inq; globi figuram redacta: vel si medicamento restiterit, portiones quædam illius abrumpentur, & longitudine duorum, trium, pluriumve cubitorum egredietur: signum evidens, portiones dejectas dictæ tineæ fœtus non esse.

56. Hisce rationibus hanc quoque addimus: quoniam si corpuscula dicta fœtus essent tineæ latæ: sequeretur, ipsammet tineam distinctum esse animal ab ijs, quæ intra ipsam generantur. At hoc falsum esse ex thesi 53. constat.

57. Neque verò partes sunt latæ tineæ: quia animalia sunt, & vivunt, licet exanimata sæpius aliorum vermium instar eijciantur. Atqui animal alterius animalis pars esse non potest.

58. Nec denique sunt illius excrementa: quia lata tineæ per se non vivit: neque animal est à corpusculis hisce distinctum. Quod autem non vivit: id etiam non nutritur: quod non nutritur, nulla quoque excrementa colligit: siquidem excrementa ab alimento proficiunt.

59. Statuimus ergò, vermes cucurbitæ seminibus similes aliquando à se invicem esse sejunctos: interdum verò copulatos, mucoque aut membranula obductos: atque ita corpus quoddā fasciæ figuram referens, modò longius, modò brevius, pro ut plures paucioresve connexi fuerint, constituere: quod prima quidem fronte vermis ab ijs videtur esse distinctus: re ipsa autem nil aliud est, quam plurium vermium congeries.



60. *Præter hæc vermiū differentias à figura desumptas, Aëuarius 1. meth. c. 21. alias etiā à quantitate & colore petitas tradit.*

61. Nam ratione quantitatis continuæ alij sunt majores : alij minores. Ratione quantitatis discretæ vel pauci: vel multi. Ratione coloris alij subalbi: alij subrubri.

62. *Est quoque non parva eorum differentia ratione loci, in quo generantur: ratione malignitatis, quam habent: ratione denique frequentiae generationis. Verum, cum eiusmodi differentiae partim ex materia: partim verò ex prognosticis apparituræ sint: ideò, ne earundem rerum inanis repetitio fiat, hoc loco missas faciemus.*

63. Quare ad MATERIALEM CAUSAM accedimus: & quia illa triplex est: EX QUA: IN QUA: & CIRCA QUAM: primùm de MATERIA EX QUA vermes nascuntur, differemus.

64. Hæc verò iterum duplex existit: remota & propinqua.

65. *Remotam materiam suppeditant nimia ciborum quantitas, quæ cruditates parit: & natura illorum phlegmatica, facileque putredini obnoxia.*

66. Phlegmatici cibi sunt, qui lentum viscosumque succū procreant: quales juxta Avicennam l. 3. fen. 16. tract. 5. c. 1. sunt phaseoli, fabæ, farina: et juxta Aëtium tetrabib. 3. ser. 1. c. 49. fercula frumentacea: Adhæc oryza, pisces lacustres & squamis carentes: caseus, & similes.

67. Facile verò corrumpuntur lac, olera, fructus dulces & æstivi: utpote mora, cerasa, pruna, pepones, cucumeres, fraga, mala persica & armeniaca &c.

68. *Proxima vermium materia ex omnium penè veterum & neotericorum sententia est pituita cruda, crassa, lenta, atque viscida, qualis ferè in pueris, & alijs crapulosis congregari solet. Corruptionis initium in ventriculo nanciscitur: sed in intestina delapsa putredinem acquirit: cumque glutinosa sit, tenaciter intestinis adhæret, nec facile cum reliquis fecibus excernitur. Itaque immoratur diutiùs: putrescit amplius: tandemque caloris efficacia in materiam & alimentum vermium vertitur.*



69. Generari autem lumbricos ex pituita descripta, sequē-  
tibus rationibus stabiliri potest. 1. quia sunt albi. 2. quia fri-  
gidi & humidi. 3. quia lenti atque tenaces: quæ qualitates  
dictæ quoque pituitæ insunt. 4. quia in gulæ & crapulæ dedi-  
tis, qui cruditatibus & phlegmate abundant, frequentes.  
5. quia in intestinis, in quibus talis materia luxuriat, gene-  
rantur. 6. quia ex edulij phlegmaticis originem trahunt.

70. At sunt, qui longè aliter de vermium materia judi-  
cant. Aiunt enim vermes vel ex alvi fæcibus procreari: mo-  
ti Hippocratis autoritate *l. 4. de morbis*: vel ex quibuslibet  
corporis excrementis, obtrudentes Aristotelis testimoni-  
um *5. Hist. animal. c. 19.* vel ex omnibus humoribus, Oribasij do-  
ctrinâ persuasi.

71. Sed nos communem doctorum sequimur senten-  
tiam, ut pote rationi & experientiæ consentaneam.

72. Ex solis autem stercorebus, nullo phlegmate perfu-  
sis, vermes generari inficiamur. 1. quia in omnibus ver-  
mes nascerentur: cum in omnibus talis materia suppeditetur.  
2. quia in alijs etiam partibus vermes gignuntur,  
in quibus tamen stercorea non reperiuntur. 3. quia rotun-  
di lumbrici in gracilibus potissimum intestinis, uti infra  
dicemus, generantur: ubi tamen stercorea minimè confi-  
stunt. 4. quia stercorea tam diu in intestinis non manent, ut  
ex ijs vermes profeminari possint. Unde Hippocrates loco  
allegato scribit, vermes ex stercorebus in infantibus solùm  
adhuc in utero materno degentibus fieri: eò quod stercorea  
diutius in intestinis immorentur. In alijs verò, qui jam in  
lucem editi sunt, nequaquam: quoniam tempestivè reli-  
quias ciborum egerere solent.

73. Ex quibuslibet excrementis vermes produci itidem  
negamus. Neque probari posse ex loco Aristotelis adducto  
arbitramur, quod hæc illius mens fuerit atque sententia.  
Inquit enim insecta varias habere suæ generationis mate-  
rias. Alia ex animalibus ejusdem generis: alia non ex ani-  
malibus, sed sponte nasci: & quidem vel ex rore, qui fron-  
dibus insudat, uti fieri consuevit tempore verno: & aliquan-  
do etiâ hyberno, cum austrina constitutio diu viget: vel ex  
cæno



cæno, fimo, putrescente: vel ex lignis: vel ex animalium pilis: vel excrementis: ipsæque aut jam ejectis: aut adhuc intra animal contentis: ut sunt tineæ, sive lumbrici. Quale autem hoc sit excrementum, non definit. Definivimus autem nos: & pituitosum esse probavimus.

74. Reijcimus etiā cum Avicenna l. 3. *fen. 16. tract. 5. c. 1.* illorum opinionem, qui ex omnibus humoribus vermes generari sibi persuadent.

75. Non enim bilis eorum esse materia potest, quia acris amara, & admodum calida: adeoque naturæ & complexionis vermium contraria. Quam ob causam illos minimè nutrit: sed potius necat, *Paulol. 4. c. 57. teste.* Cum autem vermes neque nutriat, neque conservet, patet: neque materiam vermium esse posse: siquidem juxta Aristotelis regulam, ex ipsdem animalia constent, quibus nutriuntur & conservantur.

76. Quod si obijcias: tamen bilem aliquando unā cum lumbricis deorsum: aut per vomitum sursum eijci. Respondet Paulus, hoc non probare, quod bilis lumbricorum sit materia. Posse enim lumbricos in intestinis hære, & unā cum bile excerni: bilem autem vel circa orificium ventriculi: vel alibi residere.

77. Sanguinem quoque Avicenna excludit. 1. quia naturæ thesaurus est, ex quo spiritus generantur, & corpus universum alitur. 2. quia & colore, & temperamento, & substantia à lumbricis longissimè distat. 3. addimus nos, quia in cavitate intestinorum, qua in vermes nascuntur, minimè continetur. Imò si inibi maximè contineretur: non tamen maneret: sed ocyùs efflueret. Aut si etiā maneret, in grumostamen verteretur, refrigeraretur, veneni indueret naturam: atque ita omni vitali tum calore, tum humore destitutus vivens generare corpus non valeret.

78. Nam si sanguis, inquit *Hippocrates aphor. 20. s. 6.* præter naturam in ventrem, hoc est, in cavitatem aliquam effusus fuerit: corrumpatur est necessum.

79. Sed dices, aliquando tamen lumbricos rubere: & nos quoque hunc ipsis colorem thesi 61. juxta Aëquarium assignare.



assignare. Respondemus rubere, non ratione materiæ, ex qua constant: sed ratione materiæ alimentariæ. Hac enim deficiente, sanguinem exugunt: aut intestina corrodunt.

80. Imò accidere dicimus, ut utriusq; materiæ ratione alius quidam color præter album eluceat. Non enim semper pura atque syncera pituita est: sed interdum etiã alijs humoribus tincta. Ex qua si vermes vel generari, vel nutrirî contingat, fit, ut à prædominante quidem materia pituitosa albicent: aliorum tamen humorum cum pituita mistorum colores etiam obscurè subappareant.

81. Tertiò melancholiam quoque removemus. Hæc namque aut naturalis esset: aut præter naturam, quæ propriè atra bilis à Medicis appellari solet. At naturalis melancholia vermium materia esse non potest: 1. quia est acerbâ & acida, *Galeno 5. vs. part. c. 4.* authore. Talia autẽ quæ sunt, vermibus adversantur. 2. quia frigida & sicca: atque ita vitæ principijs, quæ calida & humida sunt, inimica. 3. quia in intestinis suum domicilium non habet. Neque non naturalis vermes generare potis est. sive ex humore melancholico, qui veluti fæx & limus sanguinis est, adusto, uti *Galenus 14. meth c. 9.* loquitur: sive ex flava bile torrefacta, quemadmodum idem 2. de Nat. fac. & l. de atra. bile monet, proveniat. Utraque enim acris, mordax, & corrosiva est: & posterior quidem priore juxta Galenum multò deterior: quanquam eodem authore prior quoque ita acris & maligna sit, ut ne muscæ quidem & mures illam gustare audent. Qua ergò ratione, cum erodat atque exulceret, vermes generabit, nutriet, fovebit? quo pacto tam diu citra noxam in intestinis morabitur, donec ex ea vermes generentur? Rosiones certè & tormina ventris gravissima vermium generationem præcederent, si hæc melancholia materia eorum foret.

82. Antequam hinc abeamus, inquirere placet, quid de Pauli & Aëtij sententia statuendum? Is enim l. 4. c. 57. Hic verò *tetrabibl. 3. serm. 1. c. 40.* scribit, latum lumbricum non ex humoribus, sed ex pellicula potiùs, seu membrana interiori superficiej intestinorum adnata generari. Lumbricus,

C

ait,



ait, latus est transmutatio membranæ intrinsecus intestina  
ambientis in corpus quoddam animatum.

83. Mercurialis candidè & ingenuè fatetur, se ignorare,  
quid authores citati docere voluerint.

84. Nos illos intelligimus  $\chi\tau\iota\tau\omicron\ \rho\acute{\iota}\nu\tau\omicron\nu$ . Verba enim plana  
sunt atque perspicua. Sed cum eodem Mercuriali & Capi-  
vacceo negamus, latum lumbricum ex interiori intestino-  
rum membrana generari. 1. quia vermes ex materia humi-  
da & corrupta nasci ostensum fuit. 2. quia insignes excita-  
rentur in vermium generatione cruciatus, ob continui so-  
lutionem, id est, abrasionem membranæ. 3. quia propter in-  
testinorum excoriationem & exulcerationem egestiones al-  
vi cruore essent perfusæ: uti fieri in dysenteria videmus. 4.  
quia nullam subesse causam videmus, ob quam interior inte-  
stinorum tunica abradi possit. 5. quia intestinis illaceris ver-  
mes hosce exire videmus.

85. Rectius proinde Aëuarium sensisse arbitramur, qui  
*L. 1. c. 21.* docet, latam tineam in intestinis gigni, cum lentus  
& leviter calidus humor internæ intestinorum superficiei  
illinitur: qui à calore postea disponitur, ut ex illo vivum  
fieri corpus queat.

86. Mucosa enim lentaque illa pituita ita internæ inte-  
stinorum faciei adhæret, ut lata tineam velut è tunicis intesti-  
norum enasci videatur. Quod cum Paulus & Aëtius vidis-  
sent, forsanc crediderunt, eam ex ipsa membranosa substan-  
tia generari: cum tamen diligenter hîc inter substantiam  
ipsam, & mucosum humorem ei adhærentem distinguere  
debuissent.

87. Sed ad MATERIAM IN QUA, sive subiectum & lo-  
cum, in quo vermes generantur, progrediamur.

88. Is verò ex disputationis inscriptione apparet. Cum  
enim non de omnibus, sed intestinorum duntaxat vermi-  
nibus hîc disseramus: manifestum est, locum generationis  
vermium intestina esse.

89. Verùm, cum ratione quidem ductus unum tantum  
sit intestinum, ab imo ventriculo ad anum usq; protensum:  
at ratione substantiæ duplex, tenue & crassum: quæ iterum  
pro



pro diversitate figuræ, magnitudinis, situs &c. subdividuntur: ita ut tenuia sint tria: duodenum: jejunum: & ileon: crassa similiter tria: cæcum: colon: & rectum: quæstio est, utrum in omnibus: an in quibusdam saltē vermes gignantur?

90. Ad hanc quæstionem respondent Galenus *coment. 26. s. 3. aphor.* Paulus *l. 4. c. 57. & 58.* Aëtius *tetrabibl. 3. serm. 1. c. 41.* ascaridas potissimum in recto: rotundos in gracilibus: tæniam in plerisque aut omnibus generari. Quod quidem posterius expressè non ponunt: inde tamen colligitur, quia dicunt, illam per omnia ferè intestina exporrectam esse.

91. Ascaridas autem in recto intestino nasci, duobus doceri indicijs potest. 1. quia circa sedem ingentem pruritum inferunt: 2. quia facilè egrediuntur: & in femora natesque, tanquam loca mineræ suæ vicina, proserpunt.

92. Rotundos in gracilibus ortum trahere intestinis inde concluditur, quia aliquando ad ventriculum feruntur: & per os atque nares eijciuntur. Signum non contemnendum, eos à ventriculo haud longè generari.

93. Causa verò, cur in nulla parte crebriùs gignantur vermes, quàm in intestinis, est: 1. quia intestina publica sunt totius corporis cloaca: in qua, uti sordes aliæ: ita crudi quoque pituitosi que humores, & generationi, & nutritioni vermium accommodatissimi reperiuntur: partim inibi collecti: partim aliunde ad ea delati. 2. quia sunt loca apta atque disposita: tum ratione cavitatis: tum humiditatis causâ, quæ putredinis mater est: cujus soboles vermes sunt.

94. Cæterùm, an vermes etiam in ventriculo generentur, non parum apud Medicos disceptatur.

95. Conciliator *different. 101.* ajentem defendit: & hujus quoque sententiæ Theodorum Priscianum fuisse scribit.

96. Rationes deesse non videntur. 1. quia experientia testatur, vermes aliquando per gulam os conscendere, & ex illo hiantē profilire: clauso verò dormientibus per palati cavum obrepere in nares, forasque prodire. 2. quia in dissectionibus reperti fuerunt in ventriculo. 3. quia materia illorum, corrupta scilicet pituita, sæpè inibi continetur. 4. quia ventriculus locus est capax. 5. quia in ventriculo conserva-



riqueunt. 6. quia in omnibus penè corporis partibus vermes nasci observamus: quid ergò causæ erit, quò minus in ventriculo generari valeant: cum tamen in eo res deteriores, quàm vermes, gigni experiamur?

97. Aristoteles contrà 4. *Meteoror. c. 3.* negantem tuetur. Vermes inquit non in coctione cibi: sed in segregata putrefactione fiunt. Atqui cibi coctio juxta eundem 3. *part. anim. c. 14.* in ventriculo celebratur; reliquæ autem illius in intestinis continentur.

98. Aristoteli tacitè & implicitè Galenus, Actuarius, Paulus, & Aëtius subscribunt: qui ascaridas in intestino re-cto: lumbricos rotundos in gracilibus; latos in omnibus generari volunt. Quare, si omnes in intestinis vitæ capiunt primordia, nulli sanè in ventriculo generabuntur.

99. Nobis Aristotelis & Galeni sententia arridet magis: præsertim cum neotericos quoque, paucis exceptis, illi subscribere videamus.

100. Rationes, quæ nos movent, sunt sequentes. I. quia ferè semper in intestinis visuntur: rarò, aut nunquam in ventriculo. Et si in eo visuntur: ad illum ex intestinis ascenderunt: non autem inibi fuerunt prognati.

101. II. Quia si in Ventriculo procrearentur, semper ea inferrent symptomata, quæ inferre videmus, cum in intestinis geniti ad ventriculum se receperunt. Causa namque symptomatum præsentis, quidni præsentia ipsa symptomata essent?

102. III. Quia ventriculus, & præsertim supremum illius orificium adeò exquisito sensu præditum est, ut quæ ipsum pungunt & vellicant, quod vermes facere nemo negabit, sursum deorsumue eijciat. Quo ergò pacto vermes perficiuntur?

103. IV. Quia in rerū generatione quiete, non novæ, eiusque variæ & multiplicis semper materiæ accessione opus est. Atqui motus in ventriculo ferè est perpetuus: propter ingressum & egressum ciborum ac potuum, eorumque diversis planè viribus præditorum.

104. V. Quia materia vermium in ventriculo diu manere,



re non videtur. In intestinis autem propter longitudinem, angustiam, & anfractus eorum multo hærere tempore potest.

105. Concludimus ergò, tradita vermium genera in intestinis potius, quàm in ventriculo generari.

106. Ad 1. autem in contrariam partem allatam rationem respondemus, causam, cur lumbrici interdum per os & nares exeant, non esse, quòd in ventriculo geniti sint: sed quòd locum consuetum & nativum mutârint. Quemadmodum verò non sequitur, lumbrici rotundi per rectum intestinum egrediuntur: Ergò in illo fuerunt editi: ita consequentia non valet: egressum quandoque per superiora loca sibi parant: Ergò & in ijs nascuntur. Alius enim locus est, per quem egrediuntur: alius, in quo generantur.

107. Ad 2. eadem est responsio Reperiuntur nonnunquam in ventriculo: non quòd ibi nati sint: sed quòd ex intestinis eò se contulerint.

108. Ad 3. dicimus, futuram quidê vermium materiam corruptionis rudimentum in ventriculo nancisci: at complementum in solis intestinis fieri. Adest ergò materia remota: sed proxima in intestinis consistit. Et si hæc quoque in ventriculo reperiretur: tamen propter causas *thes. 103. & 104.* adductas, vermes in eo formari non possent.

109. Quartæ objectioni ita occurrimus. Ad vermium generationem non sufficit loci capacitas: sed necessaria quoq; est ejusdem dispositio & qualitas: ut materia debito tempore in eo manere queat. At manere in ventriculo diu non posse, ex antea dictis satis constat.

110. Quintam hoc pacto solvimus. Aliud est conservari: aliud generari aliqua in parte. Spiritus vitalis continetur & conservatur in arterijs: non tamen in ijs generatur: sanguis conservatur in venis: non tamen in ijs primariò efficitur: semen fovetur in utero: nec tamen in eo fit. Sic vermes conservari quidê in ventriculo possunt: etsi hac ratione magnas animali molestias creent: non necessariò tamen in illo producantur.

III. Sextam sic refutamus. In plurimis partibus generari



vermes concedimus: in omnibus negamus. Idque fieri dicimus, vel propter materiæ defectum: vel propter loci incommoditatem: vel propter efficientis penuriam.

112. Hæc de MATERIA IN QUÀ. Sequitur MATERIA CIRCA QUAM.

113. Ad illam autem alimentum, circa quod concoctrix vermium facultas versatur, haud absurdè referri posse censemus.

114. Arbitramur verò illud magna ex parte dulce esse: & quidem sequentibus de causis. 1. quia ex simili materia vermes nascuntur. 2. quia experientia docet, dulcia quæ sunt, humida, & putredini obnoxia, ad eorum generationem esse aptissima. 3. quia vermes rebus acris, amaris, falsis, & acidis necari videmus. 4. quia infantes, qui dulcibus abundant succis, quòd lacte & lacticiis crebrò vescantur, omnium maximè vermibus laborare comperimus. 5. quia acria & amara tum clysmata, tum suppositoria facere cernimus, ut ijs injectis vermes superiora petant: fugiendo nimirum ea, quæ naturæ suæ noxia & inimica esse sentiunt. 6. quia quando pulvisculos contra vermes puerulis exhibemus, plerunque illos cum liquoribus dulcibus propinamus: ut vermes dulcedine allecti & quasi delibuti inescantur.

115. Et hæc quoque causa est, cur in fructibus dulci sapore donatis frequenter admodum vermiculi generentur: in amaris autem, acidis, acris, aut falsis non item.

116. Est enim dulcis sapor adeò non hominibus solùm: verùm etiam vermibus, alijsque animalibus gratus atque acceptus: ut *Aristoteles lib. de sensu & sensili c. 4.* dicere minimè sit veritus: πάντα τρέφεται τῷ γλυκεῖ, ἢ ἀπλῶς, ἢ μεμιγμένως. Cui *Galenus* quoque noster 4. *simplic. c. 10. & 15.* adstipulatur,

117. Pergamus ad CAUSAM EFFICIENTEM: quam duplicem statuimus: unam principaliorem, nempe Naturam: alteram instrumentalem, scilicet calorem: partim quidem materiæ generandorum vermium: partim verò intestinis, vicinisque partibus inhærentem.

118. Is enim materiam præparando, certoque modo disponendo, & quod in ea benignius est, atque ad generationem



nem aptum, segregando, facit, ut latens materiei *divinus* in actum deducatur: ac pro quantitate & qualitate illius: nec non conditione loci vermes efformentur.

119. Aptissimus autem ad eorum generationem calor est humidus: halituosus scilicet, mitis atque blandus: qui id, quod in materia latitat, paulatim exuscitat: non acris & mordax: qui destructivus potius & corruptivus, quàm generativus esse videtur.

120. Hinc vermes in pueris frequentiores esse videmus: non tantum ob eorum voracitatem, quæ aliàs vermium materiam suppeditat: verùm etiam ob halituosum calorem. Rariores contrà in juvenibus: quorum calor acrior est atq; mordacior.

121. Superest FINIS: qui triplex est. Unus generationis: alter naturæ generantis: tertius vermium generatorum.

122. FINIS generationis est vermium forma.


123. FINIS naturæ generantis est: 1. ut materia putrescens in melius vertatur. In possibilibus enim natura semper quod melius est facit. 2. ut materia tum per generationem, tum per nutritionem vermium absumatur: ne immodicè crescens gravius damnum hominij inferat.

124. Licet autem vermes respectu nostri præter naturam sint: & non modò noxiam materiam: sed etiam alimentariã sæpè depascentur: imò multas & varias molestias nobis creent: sciendum tamen, naturæ in vermium generatione scopum non esse, ut incommodent: (est enim conservationis suæ studiosissima: & Hippocrate l. de Arte docente, ad medendū valdè prona atque propensa) sed noxas generationem illorum consequi per accidens: quatenus vel ad loca insolita moventur: vel pabuli penuria laborāt: vel intestina ac ventriculum pungunt & mordent: vel mortui tetras de se putritasq; exhalationes fundunt: quæ pro diversitate partium, quas feriunt, varia symptomata causantur.

125. Quis proprius genitorum vermium finis sit, Philosophis enucleandum relinquimus. Nobis sit satis ea proponere, quæ ad curationem vermium rectè instituendam scitu sunt utilia ac necessaria.

COROLLA





# C O R O L L A R I A.

I.

**E** *Tiam in jejuno intestino lumbricos generari contra quorundam neotericorum sententiam statuimus.*

I I.

*Partem primariò affectam in lenteria non intestinum: sed ventriculum esse contra veteres nonnullos defendimus.*

I I I.

*Valvulam principio coli adnatam difficultatem saltem: non impossibilitatem refluxus & regurgitationis contentorum in colo introducere arbitramur.*

I V.

*Usus intestinorū agnoscimus triplicem: perfectiorem elaborationem chyli: distributionem chyli: & expurgationem fecum.*

V.

*Principalem longitudinis & anfractuum in intestinis usum dicimus moram diuturniorem contentorum esse.*

V I.

*Intestina eandem cum ventriculo substantiam habere credimus.*

V I I.

*Aristotelem 4. de part. animal. c. 4. ventriculum & intestina rectissimè terræ assimilare censemus.*

F I N I S.